

Ad sacræ regię
majestatis magnæ
fidei virum,
reverendissimum
dominum, incl̄y...

Bröms, Ingemund,

1700-1829 81 Cbza Fo1.



National Library
of Sweden

Ad
SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS

Magnæ Fidei **VIRUM,**
Reverendissimum Dominum,

inclytæ Diceceseos Aboënsis

EPISCOPUM,

Regiæ quoque Academiae Provincialis **PRO-CANCELLARIUM**

Eminentissimum,

Nec non

Ecclesiastici Consistorii **PRÆSIDEM dexterrimum,**

S.S. Theologiæ DOCTOREM Celeberrimum,

DOMINUM

JOHANNEM
GEZELIUM,

Cum

Absolutissimos in Novum Testamentum Commentarios,

Quadraginta annorum Operis Partem,

Vernacula Lingua

PRIMUS,

In publicam Ecclesia adificationem,

ex

Omniū vere piorum desiderio,

Edidisset,

Devotissima

per

Epistolam familiarem,

Gratulatio.

HOLMIÆ,

Excud. HENR. C. MERCKELL, Reg. Typogr. Duc. Finl.



1713

Reverendissime atque Eminentissime Domine Episcopo
& ProCancellarie, Pater in Christo & Mæcenas
submissa animi veneratione colende.



Portebat antehac diu, Reverendissime D:ne EPISCOPE
atque PRO-CANCELLARIE, gratissimas, easque
devotissima cum gratulatione junctas, TIBI persol-
verem gratias pro insigni vereq; aureo Divinarum
Tuarum in N. T. Libros Commentationum
iterato dono, quo me Holmia abeuntem tamquam
auspicatissimo ἰφοδίῳ benignissime devinxisti. Tum quia Attico veri-
berbio χάρις ὁἰσεὶ χάριν: tum quia illud, tam luculentum cum reliquis o-
mnibus beneficium, non sine multa deprædicatione à me accipien-
dum fuit. Sed ut moræ veniam faventer concedas, perque solitam
TUAM benevolentiam mihi liceat officii tarditatem, hocce pietatis
atque venerationis prolixiore adfectu, compensare, reverenter ac
officiosissime contendo. Dicam ingenue: Quidquid dilatum est, ex-
inde factum esse fateor: Quod cum præterito anno, jussu Tuo, ut
publico id nomine fieret, perlegenda mihi esset Operis adhuc inediti
particula quædam, certè inter difficillimas, quæ est in *μυστηρίῳ* illam &
variis Veteris Ecclesiæ judiciis exercitam, Pauli ad Ebræos Epistolam,
atque exinde plurimum me profecisse sensissem: Non potuit itaque
animus à priore ἀναγνώσει τὴν ἐπινοούμενος, ut cum Pelusiora loquar, ad-
quiescere prius, neque sua sibi visus explevisse desideria, quam ex in-
tegro aliqua delibasset opere, simulque quid in futuros Futuræ, si
DEUS volet, Theologiæ usus transferbere liceat, pertentasset.

Ante

Ante omnia itaque æternis laudibus celebranda mihi est DIVINI
 NUMINIS clementia, quæ Te Reverend: me in CHRISTO Pater Episcopo,
 incolumem & provec̄ta hac ætate inter plurimos, eosque tristiores
 variæ fortunæ, ac publicis calamitatibus innexos casus, vegetum
 viribusque & valetudine firmum roboratumque conservavit, ut ad Di-
 vini Nominis gloriam, Ecclesiæque ædificationem, Nobilissimum
 Opus, quale raro unius hominis aut unius ætatis esse solet, ad publi-
 cos usus procurare, pro voto & desiderio Tuo bonorumque omnium,
 feliciter potueris! Deinde universæ patriæ Ecclesiæ, quantum maxi-
 me gratulor, quod, cum res nostræ eo per divinam castigationem
 redactæ sint, ut ἐπὶ χάριτι αὐθις ἔσται δυσπαλὲς ἐξάπινος, *difficile admodum fu-*
surum illas in suam rursus collocare sedem, ut apud Græcos Lyricus; Ha-
 beat tamen, divino certe provisu, Christi Ecclesia per Tuum Reve-
 rend: me Dn. EPISCOPE sanctissimum studium, perque Tuam exso-
 mnem & inexhaustam diligentiam, Divini Verbi invictam ἀσφάλειαν,
 adversus graviores quoscumque ingruentes tentationum motus. Utinam
 in pace & tranquillitate multa ad extrema seculi eâ fruatur Ecclesia, in
 florentissimam incorruptamque cœlestis veritatis cognitionem, inque
 æterna fidei, optimorum fructuum fœcundissimæ incrementa! Uti-
 nam desint numquam, qui pari successu & proficiendi ardore, in
 istis χροσσοῖς βιβλίοις volvendis ac revolvendis occupentur! Utinam inter
 ultimi hujus & profani proh! seculi, quo fere ἔρρει τὰ καλὰ, vitia,
 etiam grata esse non dedidicerit Ecclesia! Sed debita cum veneratio-
 ne piisque adplausibus excipiat Opus hoc, quod divino sane motu ex-
 citatus, meditari primum cœpit, magnaue contentione persequi,
 dum vixit, adnissus fuit, ὁ μακρῆς Reverend: mus Pater Tuus ὁ
 Et quod Tu Reverendissime Dn. EPISCOPE paternæ diligentia, sicuti
 muneris, & successor & æmulus, per incredibilem φιλοπονίαν καὶ πολλὴν
 ἐν γραφαῖς διεληθὴν, inter infinitas summi in Ecclesia muneris, occupa-
 tiones, per divinam gratiam absolvisti. Atque ita absolvisti ut de eo
 plurimum lætari queat debeatq; Ecclesia: quod cum antehac illo maxi-
 mē necessario sui præsidio, tum ad servandum τὸν Ἐκκλησιαστικὸν κανόνα,
 de quo sollicitam maxime esse oportet Ecclesiam, tum ad informan-
 dos firmandosque simpliciorum animos, destituta fuerit, nunc tamen
 demum per DIVINUM PRINCIPISQUE auspiciū Tuamque indu-
 striam habeat, quo cum reliquis Ecclesiis contendere possit.

Effluxere jam, inter prospera & adversa, secula propemodum duo,
 cum personuit apud nos per DIVINAM CLEMENTIAM, Evangelii
 pura & incorrupta doctrina: Habuitque Ecclesia per singularem DIVI-
 NAM PROVIDENTIAM Magna, omniq; laudum præconio majora
 lumina, Doctores nimirum, multa divinarum humanarumque rerum
 sapientia instructissimos, qui & voce & scripto cœlestem veritatem
 ad nos immortalibus meritis propagaverunt: Et quos ὁ Θεὸς ἀνὴπαρέτασε

ὡς σύλους ἐδράμεις *columnarum instar firmos & stabileis opposuit DEUS*, adversus spiritualis hostis, quique ejus infausta instrumenta sunt, Novatorum & Hæreticorum quascunque perniciosas molitiones, cum quibus, pro divino, quo agebantur zelo, molliter agendum esse, judicarunt nunquam: Satis gnari, ὅστις μαλακίσηται προδῶ, *quicumque indulgeter cum isto hominum genere egerit, is Ecclesia proditor habendus est*: ut vetus quidem censuit Ecclesia. Quo ipso quoq; DIVINA auxiliante GRATIA, Evangelii inlibatam professionem suo tempore conservarunt. Eorum tamen, quantum ego quidem scio, nullus, de hac ratione conservandi τὴν Ἀποστολικὴν ὀρθοδομίαν, per continuam in communi lingua, totius Sacri Codicis Exegefin, cogitavit; Sive illos tam laboriosi operis difficultas & amplitudo, sive sumtuum erogandorum magnitudo, sive occupationum, ingravescente ætate, retraxerit moles atque diversitas, sive vitæ brevioris usura interceperit. Interea, quamdiu Ecclesia hujusmodi Sacrarum literarū expositione destituta fuit, negaverit utiq; nemo, qui rem curatius pensitaverit, quin plurimum ei defuerit, tum ad promovendum cum fructu inter rudiores Biblicum summè necessarium studium, qui sæpe ad scrupos & minutas salebras hærent ideoque torpent, tum ad præcavendas coercendasque vagas, ἀσυνκλάτους καὶ ἀναρμόσιους imperitorum scripturæ expositiones, tum ut ultra Postillas quandoque non emendatas satis, τῆς σερεῶς ἱεροφῆς aliquid saperent ruricolæ simpliciores Ecclesiæ ministri.

Tanto itaque plus meruisse censendus est, qui ceteroquin de Christi Ecclesia, Bonisque literis optime olim meruit Reverendissimus Pater Tuus, qui inter nostros & primus & solus hanc viam ingressus est, ut per pias atque eruditas suas lucubrations Ecclesiæ verum & genuinum Sacrarum literarum, quem ab optimis interpretibus hauserat, præiret sensum, eumque scripto nostra lingua mandaret. Nisi quod, ignoscant Paterni manes, si plura profiteatur Ecclesia se TIBI debere Reverendissime Dn. Episcopo, qui neque laborum pertinacia victus, tum in perpoliendis locupletandisque Paternis scriptis, tum in emendandis inque ordinem redigendis iis, quæ Tuo sub aspicio οἱ βιβλιγράφοι feliciores adsequuti fuere, tum in elaborandis maximam partem formandisque propria manu hisce Commentariis, neque sumtuum magnitudine absterritus, donec Divinum hoc & salutare Opus perficeres, quo nunc Ecclesiam, id quod diu anxie expetierat, exornas & auges. Fuerat enim nulla, præter Patriam, Ecclesia vel antiqua vel hodierna, quæ non habuerit, habeatque Sacri Codicis, in sua lingua uberriores Expositiones.

Et si quod res est, dicam: Tam antiqui probatique moris in Ecclesia fuit Scripturam universam, piis commentationibus ex Scriptura, illustrandi: ut vix è vivis excefferint Apostoli οἱ θεοφορέμενοι, cum Apostolici Viri, qui plurimum ab Apostolico traxerunt Spiritu, quo inliba-
tam

tam ad posteros transmitterent, quam traditam acceperant, doctrinam, non tantum viva voce, per frequentes ad populum habitas *διαλέξεις*, sed & scripto per *εξηγήσεις*, Ecclesiam informarunt. De quo ne quis dubitet, testis adest omni exceptione major, Irenæus, Lugdunensis in Gallia Ecclesiæ, primum Presbyter deinde Episcopus: Vir Apostolico ævo, ut ipsemet fatetur, proximus, & qui Apostolicorum Virorum sermonibus ac conversatione usus fuit. Is cujusdam Presbyteri Apostolici mentionem facit, qui *θείων γραφῶν ἐξηγήσεις* *S. divinarum scripturarum explicationes*, scripto divulgavit. Quem morem imitati semper in Ecclesia Doctores. Laudaturque Eusebio Dionysius Corinthiorum Episcopus, quod *θείων γραφῶν ἐξηγήσεις* per Epistolas cum Ecclesia communicavit. Ut reliqua *μεγάλα τῆς Εκκλησίας σοιχῆα*, non memorem: Origenem, Chrysostomum, Theodoretum, Hieronymum, Augustinum, aliosque, neque illos unde suas habuit Græca Ecclesia Catenas.

Quid? quod si rem repetierimus altius: Etiam temporibus ante Christum natum, mox atque in Græcam linguam Sacri libri translati essent, reperti sint, qui ampliorem in illos expositionem meditati fuerunt. Servat nobis illustre quoddam Fragmentum Anatolii Eusebius in Historia, ubi memoratur quidam Aristobulus, qui Ptolemæorum tempore, *βίβλους ἐξηγητικὰς τῶν Μωσαίων νόμων* ediderat. Qui si superessent hodie libri, genuinam haud dubie planamque haberemus Legum rituumque Mosaicorum, quæ ea tempestate in Ecclesia obtinuit, expositionem, atque diffuso Mischnicarum & Gemaricarum Pandectarum adparatu carere possent Eruditi, nisi *οἱ λίαν ἰουδαϊσθῆτες*. Neque enim simplex illa Aristobuli in legem expositio, id enim *ἐξηγήσειν* Græci vel Æschylo teste dicunt, cum portentosa Phariseorum per *πατρῶα δόσεων* adfumenta, unde Talmud quoque in sequenti ætate, in miseræ gentis indurationem confutum, explicatione commune quidquam habuisse videtur. Sed talis absque dubio, Aristobuli scripturam Mosaicam interpretandi ratio fuit, qualis Karraitarum, nuda & literalis, sicuti tum specimen ejus aliquod maxime illustre reliquit Cudworthus Anglorum eruditissimus, tum apud Hebraicarum literarum peritissimos viros Allixium & Triglandium, qui Karraitarum Commentarios possederunt, videre licuit. Ignorant quoque Karraitæ illos *חמשה עשר* seu *quinque modos scripturam exponendi*, quibus semet reliqua effert Synagoga: Quique nec omnes semet adprobant ei, qui eos recenset examinatque AbenEzra, ipse inter suos magnus & Philologus & Philosophus præcipue Mathematicus, qui primus invenit Orbem per Æquatorem dividere.

Ceterum, quantum ad varios Scripturam S. exponendi modos adtinet, recte omnino ab omnibus proscribitur illa prolixa & sua mole laborans commentandi ratio, quæ ambitiosa quadam diligentia ad ea se diffundit omnia, quæ circa Textum vel planissimum quemcunque illustrandum, vindicandum, adplicandum, immo vexandum & quan-

doque depravandum, unquam dici possunt. Unde operosa istiusmodi prolixitate aliud agit nihil quam ut Lectorem ambagibus involvat, & tædio absterritum profliget. Hac commentandi methodo, illa haudquamquam melior, si non longe perniciosissima est, quæ manifestam Scripturæ sententiam, invita scriptura, in meras Allegorias & incondita Mystera trahit. Placuit illa ἀλληγορικανία olim plurimum Philoni, placuit & aliis Allegoristis, quales Origenes provectiore ætate, ejusque sequaces quidam, quibus Doctores Ecclesiæ suas opposuere exegetes, tamquam ἐλέγχους τῶν Ἀλληγοριστῶν, idque propterea quod ex intempestivo isto Allegoriarum studio, nova semper spargerentur errorum & hæreseon femina. Placuit quoque eadem, atque etiamnum placet multis Judæorum, sive illis qui שַׁבְּתֵי סִינַי Synagogæ dicuntur, sive illis qui suæ Kabbalæ nimis vel delicias vel deliria sectantur. Dolendumque est, nimium quantum placere eandem hodie Christianis quibusdam, illis qui à ψευδωνύμῳ pietate & nomen & quæstum sibi fecerunt. Modo Christiani illi dicendi, cum Primitivæ Ecclesiæ sanctiorque disciplina, pejeratores Apostatas & Hæreticos extra Ecclesiæ communionem semper habuit. Hisce dissimiles non sunt, qui illaudata diligentia, Novas in scripturam, ut scripturæ dogmata evertant, vel ex Patrum sive depravatis sive non intellectis rectè scriptis, vel ex Gentilium Rabbiorumq; lacunis, inferunt expositiones. Tum ne quid ineptiarum desit, ad corruptæ rationis examen S. S. revocant, quasi ad erroneum vulgi captum, non ad rei veritatem, Spiritus Sanctus olim locutus fuisset. Superest ergo, quod optima illa commentandi ratio sit, quæ singulas S. S. non modo sententias sed & voces plana & solida brevitate, atque ad ædificationem adcommodata dexteritate ex ipsa S. S. exponit, quia brevissima via pium Lectorem ad genuinum Divini auctoris sensum percipiendum rectè deducit. Neque aliter præstantissimi quique Interpretes & Theologi censuerunt.

Itaque & eo nomine, quam maxime omnibus laudibus commendandi Sacri labores Tui Revendime D:ne Episcopo, qui, in Scriptura Sacra, ad mentem ipsius Sancti Spiritus rectè solideque exponenda, ea omnia quæ alii vel multo ambitu vix adsecuti fuissent, inimitabili compendio complexus es: verbis ubique adhibitis admodum σημαντικῶς, quæ non sententiam modo illustrant cujuscunq; textus, sed & voces sive Biblicas sive Ecclesiasticas, in nostra lingua miro artificio reddunt. Neq; prolixam expetit pompam veritas, quæ paucis semet & docet & illustrat & vindicat. Est enim, quemadmodum Hebræorum Magistri dicunt הַבְּרִייתִי כְּחֵטְא בְּרֵישׁ הַמַּסָּעָה *b. e. veritas instar puncti in circulo.* Quod individuum punctum quicumq; tetigerit, is ad D. Pauli monitū ἐρῶ σομῆ λόγον ἰδοὺ οὐκ, seu ut Rabbini, simili locutione proferunt כְּרֵישׁ הַמַּסָּעָה vel ut Romanum forum sollenni formula, SENTENTIAS DIVIDIT, resectisq; peregrinis & alienis veritatem genuini sensus sine ambitu atque τῆς παρερμηνείας
peri-

periculo tenet. Et sic omne punctum tum optimæ Expositionis, tum in æternum duraturæ laudationis, consecutus es Reverendissime D:ne EPISCOPÉ. Adeoque, cum ante hæc diu, Tuopte merito possideas כתר כהונה ותורה duas præstantissimas Coronas *Legis & Sacerdotii*, summum videlicet tum in Sacerdotio tum in Theologicis studiis gradum, etiam nunc his ipsis Divinis Tuis laboribus promeruisti, sicuti semper meritus טוב עולה על גבוהן *Coronam immortalis laudis quæ reliquas suo supereminet fastigio.* Nam hæret circa sensum in minus perspicuis Lector, ex Cleanthea tua lucerna lampada habet lucidissimam: Offendit ad difficiliora (quis enim in scripturis *δυσνόητα* esse, largiente Petro, ignorat?) filum ipsius scripturæ perpetuum & plusquam Ariadneum, ipsi, quo semet expediat, traditur. Tenent illum suspensum Antiquitatum remotissimarum numerorumque reconditissimorum arcana, Tua felici interpretatione patefcunt. Nullo adhuc dum decisæ pendent iudice gravissimæ de rebus in S. S. maximis quæstiones, singularis eas Tua solvit ἀγχινοια. Fidei proindè firmandæ præsidia, vel vitæ pie justeque agundæ momenta desiderat quis, solide omnia copioseque à Te tradita inveniet. Ac quod tandem reticendum non est. Novimus Hæreticorum omnium, & non solum veterum Severianorum, fraudem fuisse: *ιδίως ἐρμηνεύειν τῶν ἱερῶν νοήματα, propria sua expositione scripturæ sensum pervertere.* Optimum itaque per Divinam gratiam paratum in Tuis Commentationibus antidotum est adversus grassantem proh! in Ecclesia, & nunquam fatis adhuc coërcitam, fanaticam luem, quæ usurpata sibi nequiter prophetandi licentia *κατὰ συνόδους τὰς νικηταίνας ἐπὶ τῇ πόλει* in clandestinis per urbem congressibus, quemadmodum de factiosis Comicus loquitur, dum Sacram Scripturam in pietatis profectum legere sese jactitat, absurdissimis & impiissimis interpretamentis foedare dudum deprehensa est.

Nostræ itaque afflictissimæ ætati Sacros hosce Tuos labores singularis quædam reservavit concessitq; divina providentia. Ecquis enim non agnoscat manifestum ejus documentum esse? quod illos nec voraces incendiorum flammæ, nec prædatrices hostium incursiones, nec funestissimæ per contagiosam labem densæque strages, nec periculosissimæ per infestum mare trajectiones vel tollere vel impedire potuerunt.

Scripserat olim Aureliano cuidam Synesius: *ὄπω τῇ προνοίᾳ μέλει ῥωμαίων: Romanorum curam Divina rejecit Providentia.* Diceret perinde quis: videri quoque divinum Numen nos nostramque deseruisse patriam, eamque hostium deprædationibus & Hæreticorum, Ecclesiæ patriæ undique insidiantium, tyrannidi tradidisse: Nisi superesset hoc Divinæ providentiæ, etiamnum propitiæ invictum argumentum, quod magna fiducia omnes pios sperare jubet: Ecclesiæ suæ apud nos bene velle Clementissimum Coelestem Patrem, neque eum plane deserere coetum, cui de tam Sacro, tam quoque locuplete Divinarum

informationum thesauro per B. Parentem Tuum & per Te prospicere
voluit. Neque enim, opinor, apud nos qui omnium ingratis-
simi pro Evangelicæ Veritatis cœlesti deposito sumus, Divini sui verbi co-
gnitionem augeri fineret Misericordissimus Pater, nisi hoc propitio
maxime auspicio declarare voluisset, adhuc dum habere sese
התקן לתת לנו את חכמת שלום לתת לנו את חכמת שלום *cogitationes pacis ad dandum nobis finem
expectatissimum.*

Quo divino auspicio, ut reliqua quæ edenda supersunt, salva
valetudinis firmitudine, constantique rerum omnium successu absol-
vas Reverendissime in Christo Pater Episcopo, piis exopto votis. At-
que ut hoc immortalis opere, quoscunque Sacrarum Literarum
meliores Cultores provoces, vel simili vel alia ratione, ne impruden-
tes illos Ecclesiamque Barbaries occupet, de Ecclesia Sacrisque Literis
bene merendi, & ne otio, seculi vanitatibus, divitiis & deliciis in-
hærescant, infenescant. Sed quos DEUS provectiore vita donaverit,
Tecum & cum Polycrate Asiaticorum Episcoporum ἡγήσεται, dicere
fidenter possint: οὐκ ἐκὴν αἰ πολεμαί, *Non frustra hac canities est;* Sed pro
Ecclesiæ publicisque commodis hancce gero *Senectutis coronam.* Quæ
ut TIBI sit Reverendissime Domine EPISCOPE atque PROCANCELLARIE,
læta, felix atque diuturna: Et ut in adversis quibuscunque amenissi-
mum illud solatium à consolationis omnis fonte habeas: quod sit
TUORUM Laborum quemadmodum in Fennica, etiam in Univerſa
hac Patria Ecclesia, fructus uberrimus: Id quod pia animi devotione
precor & opto qui semper vivo

TIBI, Reverendissime atque Eminentissime
Domine Episcopo ac ProCancellarie

Strengnesii d. XXI. Novemb.

An. O. R. M DCC XIII.

Omni honoris & obsequii studio
cultuque devinctissimus

INGEMUND BRÖMS.